

Nf 14



39  
DISSERTATIONUM ANTIPOIRETIANARUM  
**DODECAS POSTERIOR,**

ET IN EA

**P R I M A,**

QVA

**PROTEVANGELIUM  
PARADISIACUM CUM AD-  
JUNCTO LABORIS CORPORA-  
LIS, NEC NON INSTITUTIO SACRIFI-  
CIORUM, ET PROMISSIONES ABRA-  
HAMO DATÆ,**

*A VIRI CLARISSIMI,*

*PETRI POIRETI,*

CORRUPTELIS VINDICANTUR:

IN ACADEMIA FRIDERICIANA

*Die Jun. hujus M DCC XX anni*

MODERANTE

**D. JOACHIMO LANGIO,**

S. THEOL. PROF. ORDIN.

PLACIDÆ DISQUISITIONI SUBMISSA *lyr.*

A RESPONDENTE

**JOAN. ANTONIO MENCKENIO,**

AURICA-FRISIO, SS. THEOL. STUDIOSO.

---

HALAE MAGDEBURGICAE.

Typis JOAN. FRIDERICI KROTTENDORFFII, Acad. Typ.

PROBATIONUM  
HONORARIUM  
P. R. M. A.

PROTEVA NGELIUM  
PARADISIACUM CUM AD  
LIVROTI ADORIS CORPORA

PROBATIONUM  
HONORARIUM  
P. R. M. A.

PROBATIONUM  
HONORARIUM  
P. R. M. A.





## LECTORI BENEVOLO

S. P.



*P*riorem Dissertationum Dodecadem nunc sequitur *posterior*. Numerum enim earum in ipsa elaboratione crevisse, jam indicatum est in præfamine, uni atque alteri Dodecadis prioris Dissertationi præfixo. Ut vero lector hujus instituti amans sciat, quænam & qua serie, ac qua de materia, post primam hanc novæ Dodecadis, Disputationes reliquæ sint expectandæ, earum conspectum hic brevissime exhibebo:

*Secunda* ager de isto Cl. Poiræti dogmate, quo, quæ apud gentiles naturæ sunt, pro effectibus gratiæ habet, noto diversi generis naturalismo novum substituens.

*Tertia* de eodem argumento.

*Quarta* de regeneratione & de perfectione gradu-

um, qua regentis ab Auctore perperam absoluta  
ἀναμαρτησία tribuitur.

*Quinta* de justificationis sensu forensi, falsis hypothe-  
sibus ejusdem opposita.

*Sexta* de fide, quæ justificat.

*Septima* de fide, quatenus justificat.

*Octava* de præjudiciis Poireti & de confinio veri ac  
falsi in ejus doctrina de fide,

*Nona, decima & undecima* de falsis justificationis  
speciebus secundum Poiretum.

*Duodecima* de diversis Papismi principiis & semini-  
bus, quæ in theologia Poiretiana extant: una cum  
*appendice ἀνακρίσεως* de nexu veritatis evange-  
licæ catenato, errorum Poiretianorum catenæ  
opposito.

Hæ gravissimi momenti materiæ eadem tra-  
ctantur methodo, quæ in aliis Dodecadis prioris  
servata est: h. e. antitheticæ tractationi præmittitur  
rhetica, ut doctrina evangelica, a Cl. Poireto im-  
pugata, & per varias corruptelas depravata, a  
quolibet lectore attento & docili in sua veritatis &  
sinceritatis ἀσφαλείᾳ, suoque quasi munimento, cum  
præsidis suis recte cognoscatur. Quæ tractandi ra-  
tio mihi eo magis visa est necessaria, quo minus sin-  
cere ὁ ἀντιλέγων ecclesiæ evangelicæ dogmata, quibus  
Oeconomiam suam magna ex parte opposuit, le-  
ctori suo proponit, seu recenset; & quo magis hinc  
ab

ab ipso statu controversiæ aberrat, plerumque cum larvis potius, quam cum genuina thesi, pugnans. Qua præmissa, & antithesi accommodata, doctrinæ Apostolicæ explanatione simul id efficio, ut postea in ipso elencho, lectore meo illuc remisso, eo brevior esse possim, nec tamen in brevitate ista τῆ ὑποθέσει videar δαλεῦν, aut quidquam e credulitatis & auctoritatis ecclesiasticæ præjudicio adferere & tueri. Unde nullis utor testimoniis humanis, ne optimis quidem & solidissimis, sed sola scripturæ sacræ auctoritate, secundum justas hermeneuticæ leges recte explicatæ & allegatæ intellecta. Et hac tractatione in posteriore hac Dodecade elenchi præcipue in doctrina principali de justificatione est instruendus. Quia enim doctissimus Poiretus in dogmatis hujus corruptelis maxime id agit, ut lectori suo persuadeat, sensum justificationis forensis, qualem ecclesia evangelica tuetur, non esse genuinum, sed falsum, absurdum & impium, qui omni impietati patrocinetur; istum vero justificationis modum, quem ipse describit, solum esse verum & solum idoneum, qui pietatem & regnum Dei instauret; in tractatione dogmatica elencho præmissa duo ut demonstrarem, mihi incumbere video: unum, sensum justificationis forensis omnino esse genuinum; alterum, hanc ipsam doctrinam veræ pietatis praxin adeo non impedire, ut eam potius

necessario & quam maxime promoveat. Et quem-  
admodum illud præstare annitor in hermeneutica  
phrasium biblicarum expositione, non sine singu-  
lari studio adornata; sic hoc in descriptione genui-  
næ fidei, cum *quæ*, tum *quatenus* justificat, demon-  
strare contendo, hac ratione lectorem quemvis, et-  
iam alieniorem, convicturus, non nisi apostolicæ  
doctrinæ hypothesein esse, quæ a Poireto depravata  
hic vindicetur.

Ceterum quia, quod prævidi, audio, Poiretiani  
systematis admiratores totum hoc institutum me-  
um mihi vitio vertere, illos ea, quæ sequuntur, quam  
humanissime velim admonitos:

1. Me ipsi Poireto nequaquam esse infensum, nec  
ipsum impugnare, sed tantum vindicare doctri-  
nam evangelicam ab ipsius corruptelis: atque ita  
mihi non esse rem cum ipso *auctore*, qui desit ef-  
se inter mortales; sed cum *eius scriptis*, quæ in  
plurimorum manibus non sine periculo & da-  
mno hærent. Atque ita me sollicitè distingvere *er-  
rantem* ab *errore*, & *errorem* ipsum ab *eius efficacia*.
2. Me nequaquam improbare, quæ in scriptis viri  
doctissimi bona & vera sunt; quæ esse permulta,  
lubens fateor; nec ea explosum ire e lectorum  
manibus, sed istos necessariis monitis instruere,  
ne cum veris etiam falsa & noxia arripiant, sed  
omnia recte explorent.

3. Cum



3. Cum aliquando in actu disputationis publico aliquis opponentium auctorem *hypocritam* vocasset, me ipsi statim publice contradixisse, & negasse, ipsum appellari posse hypocritam, addita distinctione inter cultum Dei evangelicum, seu evangelico sensu sincerum, & *ἀνυπόκριτον*; non quidem istum, hunc tamen ipsi tribuens, & ab hypocrisi proprie sic dicta virum doctissimum immunem pronuntians. Utinam vero in modo scribendi & statu controversiæ plus sinceritatis seu fidei adhibuisset!
4. Me adeo non esse osorem theologiæ mysticæ genuinæ, ut improbem orthodoxiam eam, quæ non simul est mystica, seu ita comparata, ut lectorem via practica ad interiora regni Dei deducat.
5. Quod multi scripta Pireti cum sui ædificatione legerint, apud plerosque tribuendum esse isti gratiæ principio, quod ad istorum lectionem jam attulerint, & quod ipsos a notabiliore corruptione immunes præstiterit: inde vero nequaquam valere consequentiam ad lectionem promiscuam, tanquam omnibus tutam & salutarem.
6. Nonnullos ex ipso errorum commercio ad errantis auctoris patrociniū propendere, & præ se ferre potius intemeratam doctrinæ evangelicæ amorem ac studium, quam re ipsa habere, & demon-

monstrare: & hos ad Dissertationes meas sinistro accedere affectu, & pro eo quidem attentos esse ad voces aliquot, quæ, extra contextum suum consideratae, ipsis videntur duriusculæ, & tamen non nisi rarius inveniuntur: at reliqua omnia eosdem vix superficialiter perlustrare, sed quasi per transennam tantum introspicere, nedum integre & curate legere & expendere omnia, ideoque pedes suos offendere ad lapides jam dudum e medio remotos, immo ipsos in via veritatis planissima titubare.

7. Meas autem veritatis apostolicæ vindicias in elencho methodum tenere eam, qua nulla esse queat æquior & planior: h. e. auctori ne tantillum sententiæ, a qua alienus sit, tribuere, sed mentem ipsius, suismet verbis cum contextu ipso exhibitam, examini subicere, & ubique justæ disputationis, qualem ipsa logica naturalis requirit, & lux gratiæ dirigit, leges curate servare.
8. Elenchum meum qui erroris arguere intenderit, illi probe perpendendum esse, se ad earundem legum observationem esse adstrictum, & non nisi post muri istius dogmatici, quo elenchus ille meus circumvallatus est, destructionem ad Poiretianorum defensionem procedere posse. Istim vero & hanc fore *ἐκ τῶν ἀδυνάτων*, est, quod non temere confido. Vale, lector Theophile, in Domino!

PROPO-

PROPOSITIONES DIDASCALICAE.

PROPOSITIO PRIMA  
DE PROTEVANGELIO.

Protevangelium agit proprie de salutis acquisitione, seu redemptione, per Christum præstanda, non tamen sine respectu ad salutis applicationem.

DEMONSTRATIO.

1. Promissionem Evangelicam proroplastis datam, & Gen. III, 15. descriptam, de Christo, & de salutis nostræ restitutione, per ipsum expectanda, agere, ipse Poirretus concedit, ideoque, probatione neutiquam eget.

2. Salutis acquisitio est applicationis fundamentum: atque ita ista hac omnino prior est. Jam vero promissio paradisi- ca omnium est prima & reliquarum omnium quasi scaturigo. Ergo ipsa rei natura docet, eam de salutis acquisitione & fundamento præcipue latam fuisse.

3. Quænam vero salutis acquisitio in Christo, tanquam semine promisso, sit promissa, & quo sensu ipsum protevangelium fuerit intellectum, & a nobis sit explicandum, ejusdem docuit declaratio, ipsaque impletio & exsecutio, in universo redemptionis opere conspicua.

4. Hinc emergit regula hermeneutica ἀξιόπιστος: Promissionis divine sensus genuinus is est, quem gignit & declarat ejusdem repetitio, maxime autem ipse eventus, si ea jam impleta sit.

5. Jam vero protevangelii repetitio & declaratio in Mose & Prophetis agit de ea salutis nostræ acquisitione, Messæ adscripta, quæ posita esset in forensi & ἰλαστικῇ humani generis redemptione, tollendo reatui, seu culpæ & pœnæ demendæ, ita ac-

B

com-

commodata, ut simul contracto ineffabili damno mederetur. Et hoc ipsum est, quod eventus ipse, seu ipsum redemptionis opus a Christo peractum, abunde & quam luculentissime comprobatur.

6. Bimembrem hanc thesin ut hic nunc probem, supervacuum est, postquam eam integra Dissertationum, quas prior continet Dodecas, serie plurimis non solum argumentis, sed argumentorum quoque classibus & agminibus, demonstratum dedi & a corruptelis Poiretianis vindicavi.

7. Quare istis demonstrationis praesidiis, tanquam praemis, nullo oppositionis ariete, nullaque rei sophisticae, aut theologiae pseudomythicae, machina subvertendis, hanc aeternae veritatis conclusionem subjungo: *Protevangelium Paradisiacum agit de redemptione Christi forensi & ἰλαστικῇ, qualis sensu Anti-Poiretiano in Dodecadis prioris Dissertationibus descripta est, de eaque est explicandum, ita ut ex hoc salutis fundamento demum ejusdem obtinendae ordo recte derivetur.*

8. Haec autem veritas primaria sequentes per pronam consequentiam ex se gignit:

- a) *Serpens & semen serpentis* est ipse satanas, qui, cum malignis spiritibus extra hominem constitutus, per peccatum, tanquam maligni feminis instar ipsi insitum, in eundem vi reatus e justo Dei vindicis judicio habet potestatem captivantem.
- b) *Semen mulieris* est ipse Christus redemptor, in persona sua extra hominem subsistens.
- c) *Positio inimicitiae* est ipsa Christi redemptio decreta & executioni data.
- d) *Contritio capitis serpentini* est regni diabolici destructio, quae, tanquam λύσις seu effectus, redemptionem, tanquam ἀπολύτρωσις, seu causam sequitur.
- e) *Attritio calcanei* notat eum redemptionis modum, qui consum-

summandus erat per mortem, pro diabolica quidem malitia Christo infligendam, per se tamen piacularem.

f) Redemtionis vero & salutis particeps fit nemo, nisi qui in ordine regenerationis, justificationis ac renovationis, fide in se accensa, & Christum promissum illud semen apprehendente, & sibi applicante, diabolicum peccati semen sibi finit demi; & primum quidem quoad dominium ac reatum, deinde vero quoad reliquias magis magisque expurgandas.

9. Quemadmodum vero veritatum alia aliam gignit & probat: sic errorum alius alium parit, ita ut error genitus cum principio & tanquam cum genitore suo, solide destructo, per se ipsum concidat, adeo ut ad ejus subversionem nulla opus sit machina, nullo molimine.

10. Et hoc est, quod antilogia Poiretiana nobis hic ob oculos ponit. Nam, quemadmodum e Dodecadis prioris Dissertationibus percepimus, negat doctrinam de redemptione Christi forensi, doctrinam de justitia Dei peccatorum vindice, & de peccati Adamici reatu & imputatione, nec non de virtute sacrificiorum τυπικῶς ἱλασικῆ, ab ipso itidem negata, superstructam: & e contrario ratione peccati omnia ad solam inhaerentem labem, & ratione gratiae & Christi omnia & labis istius expurgationem refert, de intercessione, redemptione ad merito Christi nudum sine sensu apostolico sonum edens, seu sermonem proferens. Quae singula jam abunde demonstrata sunt.

11. Et hic error grandis ac multiplex, tanquam πρώτον, in se tamen multiplicatum, seu fecundissimum, ψεύδεται gignit illum de Protevangelio errorem, qui in Oeconomia L. III. c. XI. fecunditate sua hifce sese ramis explicat & diffundit:

- a) *Semen serpentis* tantum internum est, nimirum corruptio ista, quam satanas in cordibus hominum diffudit.  
 b) *Semen mulieris* ex opposito est Christus internus, animis

hominum jam per naturam insitus.

- c) Christus hic per protevangelium naturæ humanæ ita est insitus, ut per nativitatem in alios propagetur.
- d) *Positio inimicitie* adversus Satanam pertinet tantum ad cor hominis a peccatis expurgandum: quemadmodum serpentini capitis contritio est ipsa peccatorum expurgatio.
- e) Est ista inimicitia adversus satanam, quæ, vi primæ positionis, seu benedictionis, animo protoplastorum indita, inde naturaliter transitura erat ac transit in corda omnium hominum, est ipse Christus, æternum Dei verbum.
- f) Atque ita omnes homines per ipsam nativitatem suam principium gratiæ, seu vitæ, luminis, ac amoris spiritualis intra se habent, ad contritionem serpentini capitis & seminis, seu ad expurgationem peccati, sufficiens.

12. Quemadmodum vero hi errores, e prolixiore Oeconomix contextu ad sensum auctoris hic *ὡς ἐν συνοψει* exhibiti, e modo dicto illo *πρώτη ψύδεις* resultant; sic eodem destructo etiam ipsi concidunt. Deinceps tamen examini seorsum subjiciuntur.

PROPOSITIO SECUNDA  
DE LABORE CORPORIS.

Labor corporis externus non est homini in divinum cultum a Deo præscriptus, nec est satisfactorius, ad ordinem & negotium salutis pertinens: sed est ejusmodi occupatio, quæ, per lapsum in molestiam conversa, ipsi vitæ humanæ sorti plane est naturalis & convenientis-

tissima, & a laborante e principio gratiæ sanctificata in Dei gloriam dirigitur accedit.

## DEMONSTRATIO.

Hac hic supersedeo in utraque propositionis parte. Quem admodum enim partis negativæ errores Poretianos vel nominasse tantum, est refutasse: sic positivæ veritas luce meridiana est clarior, nec facula ulla eget. Quam vero absurdus & multiplex hic sit doctissimi Poreti error, deinceps in hypothesi-um ipsius serie & examine videbimus.

## PROPOSITIO TERTIA

## DE ORIGINE SACRIFICIORUM.

Sacrificiorum institutio nequaquam est humanæ inventionis & electionis, sed divinæ originis, ad ipsum Deum referenda.

## DEMONSTRATIO

1. Primum hoc liquet ex *eventu*, benevola Dei acceptance & approbatione, in sacrificio Abelis declarata. Gen. IV. Deus vero nullum cultum approbavit, nisi quem instituit: nisi admittere velis absurdum, Deum etiam *ἑλοθρησκείαν* approbare.

2. Deinde hoc ipsum comprobatur *sacrificiorum indoles*; utpote quæ ita comparata est, ut ratio humana, hunc cultum sine nucleo ejus mystico & typico, quem sibi relicta plane ignorat, consideratum protali, qui Deo gratus sit, habere, ideoque excogitare non potuerit.

3. Porro thes. confirmat *Leviticæ sacrificiorum ordinatio*; quip-

quippe qua Deus luculentissime testatus est, etiam usum ejus  
pristinum suæ fuisse institutionis.

4. Nec exiguum quarto argumentum est in *Oeconomia gratiæ evangelica*. Hæc enim cum quasi pro centro suo agnoscat sacrificium Christi antypicum; quidni divinæ fuisset originis typica istius representatio?

5. Tandem idem elucescit e *fide offerentium*, speciatim Abelis Hebr. XI, 4. Fidei vero proprium est, nisi mandato & promissione. Plura hic in medium proferre superfedeo.

6. Poireti antithesis, seu hypothesis, qua negat, sacrificia esse divinæ institutionis, & affirmat, ea esse humanæ, at Deo tamen placentis, electionis, pro principio habet *πρωτον* illud *ψευδος* de negata expiatione sacrificiorum typica & Christi antypica; quemadmodum e Dodecadis prioris Dissertatione V. & sequentibus est manifestum. Rei vero sacrificiali Dei cultum denegare, & hunc labori corporis externo tribuere, quanta non aberratio a veritate!

PROPOSITIO IV.

DE PROMISSIONIBUS EVANGELICIS  
ABRAHAMO DATIS.

Promissionum evangelicarum Abrahamo datarum nucleus fuit dogma de Jesu Christo & ejusdem redemptione, cum effectu gratiæ & benedictionis in omnes gentes sub oeconomia evangelica diffundendæ: atque ita promissiones istæ continent repetitionem & declarationem protevangeli.



## DEMONSTRATIO.

1. Hæc propositio per se resultat e veritate propositionis primæ, ideoque nulla probatione speciali eget. Hanc tamen præcipue Paulus exhibet in epistola ad Galatas c. III.

2. Et eadem, servata tamen oppositione, hic est ratio erroris Poireriani, quo promissionum, quæ Abrahamo de Christo factæ sunt, sensum detorquet ad Christum illum internum, cordi Abrahami insitum. In qua doctrinæ *τερατολογία* sequitur principium suum de Christo, tanquam semine promisso, naturæ humanæ per protevangelium infuso. Ad cuius & cognatorum errorum examen nunc accedamus.

TRACTATIO ELENCTICA  
qua Oeconom. L. III. cap. XI. & XII.  
secundum præcipua momenta sub examen  
revocantur.

## Locus I. §. IV. p. 733.

*Ex quo homo in peccatum plenum incidit, adeo eum obstupuisse arbitror, ut status ejus non immerito primæ stupideque infantie comparetur. Quod si enim ob exiguos quosdam defectus, qui præcesserant, somno se consopitum obrutumque vidit; multo magis post peccatum consummatum in stuporem, ignorantiam, torporem ac infantiam quandam incidit. Equidem Christus per intercessionem interpositam, per gratiam lumenque in corde hominis renascentem, per benedictionem naturæ infusam, isthec temperaverat; sed non usque eo suppresserat, quin homo satis stupidus adhuc atque distractus maneret, neque ista vii fas erat pensi haberet; adeoque non tam internam vocem Dei sui audiebat, quam vocem naturalem creaturarum foris clamantium, etiam post peccatum multa adhuc ei bona superesse. Huic dis-*  
stra-

fractiōni Christus ut occurreret, utque caveret, ne homines de-  
nuo voluptates sibi in creaturis perinde atque antea quærerent,  
atque ita distractiōnes sibi suas redderent perpetuas, miseriasque  
geminarent; coepit foris homini repente tria hæc eodem tempore  
dispensare, obrulitque tum Visionem seu Apparitionem, tum vo-  
cem Revelationis, tum præcepta aut Instiutiones externas, di-  
vino ejus lumine interim intus in corde jam renato, ibidemque  
operari conante.

### Disquisitio hujus loci.

1. Auctor §. II. non inconcinne quidem ætates mundi di-  
versas cum vitæ humana ætatibus comparat, temporibus, quæ  
ab humani generis lapsu ad diluvium usque effluerunt, in-  
fantie adscriptis. Quando vero infantie hujus denominatio-  
nem etiam ab ipso Adami statu, qualem ipse describit, arcessit,  
fundamento nititur infirmo. Sed hoc in antecessum obiter.

2. Prodit hic Auctor hypothesin suam haud probatam, aut  
probandam, de duplici Adami lapsu, priorem, & inchoatum,  
qui somnum antecesserit; posteriorem & completum, qui i-  
psium sit insecutus. Hoc sibi volunt locutiones: *in peccatum  
plenum incidit: ob exiguos defectus somno se consopitum obru-  
tumque vidit.*

3. Phrasis: *per benedictionem naturæ infusam*, aliquid mon-  
stri alit in theologia, excutiendum in Decad. II. Dissert. II. & III  
de novo naturalismo Poiretano. Huc pertinet locutio: *Divi-  
no ejus lumine interim intus in corde jam renato ibidemque jam  
operari conante.*

4. Omne Christi officium hic ponitur in eo, quod di-  
stractiōni hominis occurrere voluerit, justitia Dei vindice & e-  
jusdem expiatione per satisfactionem, atque ita veri evange-  
lii, ne mentione quidem facta, immo alibi impugnata & ex-  
plōla.

5. Appa-

5. *Apparitionem* Auctor §. V. refert ad gloriosum Christi corpus, jam ante lapsum ex Adamo assumtum. Quae hypothesis Dodec. I. Dissert. IX. destructa est.

6. *Revelationem* vero *protevangelii* §. VI. obscurat Auctor, immo ratione sensus ab evangelii centro alienissimi depravat. Id quod ex ipsiusmet verbis percipiemus.

## LOCUS II. §. VI.

Quarto Deus declarat, quod principium odii contra Satanam divinamque (Genes. III. v. 5.) inimicitiam contra omnia diaboli adminicula atque opera, in corde hominis sit positurus. Hec autem inimicitia ipse divinus amor est motusque luminis interni, adversus tenebras, peccata, semenque universum corruptionis, quam Satanus in cordibus omnium hominum seminavit, oppositi. Quinto, eidem revelat Deus, divinam hanc inimicitiam, quae est ipse Deus, seu divinum Verbum in corde hominis nascens ut divinam ibi lumen amoremque ingeneret, (etenim quis alius eo tempore diaboli hostis & fons inimicitiae contra ipsum fuerit, quam ipse Deus?) revelat inquam homini, divinam eam inimicitiam ex ipso in corda omnium posterorum transiuram esse; ita ut omnes, ex quo nascentur, principium vite, luminis & amoris divini atque inimicitiae contra diabolum in centro cordis sint habituri. Ideo autem divina haec inimicitia omnibus quotquot ex muliere nascentur, seu totum semini mulieris, promittitur; quoniam causa materialis, ut ita loquar, hominum omnium in muliere erat; Deus autem ibidem Verbum eternum, diaboli inimicum, tanquam adiunctum materiae hominis inseparabile introducit.

### Disquisitio hujus loci.

I. Quando Auctor promissam inimicitiae adversus Satanam

C

nam

*nam positionem* hic unice refert ad cor hominis, manifeste confundit salutis *fundamentum & acquisitionem* cum salutis *ordine & applicatione*. De fundamento salutis hic præcipue agi, supra demonstratum est.

2. Et ex hoc falso principio *semen serpentis* ipsi nihil est aliud, quam *corruptio interna*, quam *satanas* in *cordibus omnium hominum seminavit*; cum tamen per istud semen respectu potiori maligni Spiritus reliqui una cum toto tenebrarum regno, in quantum illud etiam extra hominem est, intelligatur; uti e præmissa tractatione didascalica liquet.

3. Opus Dei, & quidem opus redemptionis, cum ordine applicationis consideratum, quod locutione, *inimicitiam ponam* notatur, perperam habetur pro ipso Deo & pro Divino Verbo, nimirum hypostatico. Verbi autem divini appellatione quando Poiretus non Scripturam sacram, sed tantum Christum ipsum nuncupat, verbo ejus evangelico nequaquam suum pretium statuit. Quæ hic de *corde hominis* recurrunt, modo dictam confusionem denuo produunt.

4. Inimicitiam adversus diabolum ex corde Adami in corda omnium hominum transfiguram esse, Deus nequaquam revelavit: nec ista transitio locum habuit, uti e præmissa didascalica & loci Gen. III, 15, vindiciis liquet.

5. *Omnes homines, ex quo nascuntur, principium vite, luminis & amoris divini atque inimicitie*, & quidem *supernaturale* secundum Poiretum, contra diabolum in centro cordis sui habere, est Neo-Pelagianismus iste qui Dodec. post. Dif. fert. II. & III. destruetur.

6. Aliud est *inimicitiam toti semini mulieris promittere*, in constituto salutis ordine obtinendo; aliud *ipsam remi promissam* protoplastis ita indere, ut per generationem natura-

tura-

turalem in omnes propagetur. Quæ tamen duo diversissima Poiretus indignis modis confundit. Et multo adhuc indignior est confusio, qua *promissionem* de Messia habet pro ipso Messia, statuens, hunc ipsum, quem *Verbi æterni nomine* intelligit, ita protoplastis fuisse *insitum*, ut cum ipso semine naturali tanquam *semen spirituale & adjunctum materie hominis inseparabile* in posteros propagetur. Quod sane non error est levis; sed portentum erroris.

### Locus III. *ibid.*

Sexto, eidem revelatur, homines ex muliere nascituros, per inimicitiam hanc, sive per efficaciam divini Verbi in corde eorum nascentis, diabolum devicturos esse, ejusque tentationes motusque & opera omnia destructuras: Semen mulieris conteret caput serpentis: hoc est, homines ex muliere nascituri, in quorum cordibus Filie Dei seu Verbum divinum lumine & amore suo aderit, omnem potentiam diaboli, & quicquid ab ipso pendet, per eum destruent. Id vero in multis eorum, qui e semine mulieris descenderunt, ratum fuit: attamen & non pauci in tyrannidem Satanae irreparabili lapsu reciderunt: non quod Dei promissio defecerit; sed quod ipsi ejusdem participes esse noluerint. Illi enim demonis, qui multis voluptatibus vanitatibusque tectus eos adoriebatur, ludicris oblectari maluerunt, quam gratie, lumini, bonisque motibus Dei cordis intus adherescere, & cum ipso operam dare, ut caput serpentis pedibus suis subjicerent, præsentem licet Dei Filio in ipsis, opem suam eis auxiliiumque offerente; haud secus ac ipse idem nobis etiam nunc adest, quando per reuebrarum nostrarum diabolique motus tentati, intra nos descendimus, cum sincero proposito ipsum audiendi divinum hunc Servatorem implorantes:

rantes: ita enim protinus manum nobis praesens porriget, ac nunquam nobis deerit in capite serpentis conterendo, operaque eius in nobis destruendo. Sic Paulus ait ad Romanos: Rom. 16. v. 20. Deus pacis Satanam brevi conteret sub pedibus vestris; ita Servator ipse discipulis suis: Luc. X. v. 19. Potestatem dedi vobis calcandi super scorpiones serpentes, & super omnem potentiam inimici; & nihil vobis nocebit. Id quod & David jam significaverat in Psalmis suis, eum puta, qui Deo se tradet, Psal. 91. v. 13. ambulaturum super basiliscum & aspidem, sine ullo periculo & damno.

### Disquisitio hujus loci.

1. Quandoquidem, ut Dodec. II. Dissert. II. evincetur, Christus natura non est in nobis, nec in nobis nascitur; hypothesis hæc sub gratiæ, immo ipsius Christi nomine, naturam evehit in thronum, aliquo idololatriæ, quam *physiolatriam* non incommode dixeris, genere commisso.
2. Et *physiolatria* hæc eo plus habet periculi, quo magis in praxin deducitur, quando per verbum illud, quod in corde nasci supponitur, diabolum vinci, omnesque tentationes & opera ejusdem destrui posse, creditur.
3. Quando autem, quod proprie de Christo dicitur, scilicet illum fore *semen illud mulieris, quod caput serpentis conterat*, Auctor hic explicat de Christo isto imaginario, jam natura omnibus insito, ipsamque serpentini capitis *contributionem* ad efficaciam & operationem Christi istius falso crediti refert, plane novum orbi christiano universo evangelium obtrudit, nequaquam audiendum.
4. Filium Dei, tanquam natura jam tum nobis insitum, *intra nos descendendo implorare*, inauditum est in ecclesia christiana, & prodit *δύο θεῶν μόν*, seu quandam quasi *εἰδυολατρίαν*, qua quis

quis sua interiora, naturaliter Christo vacua, pro ipso Christo veneratur, nec auxilia & gratiam sibi a Christo vult *adferri*, sed *efferi* & *proferri* ex istis suis interioribus.

5. Scriptura loca Rom. XVI, 20. Luc. X, 9. Psalm. XCI, 13. de contritione serpentis allegata, agunt de applicatione ejusdem salutari, quæ consistit in λύσις, in solutione & destructione laqueorum & operum diaboli intra hominem, quibus is ipsum captivum tenet. Sed hæc λύσις supponit ἀπολύτωση, redemptionem forensē, per quam destructa est peccati nos captivantis & judicio condemnationis exponentis reatus, per quem diabolo est in hominem potestas, dominium suum, quod per idem peccatum inhærens in hominem habet, in æternum hominis exitium convertendi. Atque ita λύσις omnino supponit ἀπολύτωση, seu ἀπαλλαγῆν, quia in mortis picularis ordine potestas diaboli captivans destructa est. Hebr. II, 14. 15. vide supra hujus doctrinæ pondera in thesi producta.

#### Locus IV. eod. §. p. 736.

*Hujus autem promissionis revelatæ impletio, docente Scriptura, ultimis temporibus, quando Christianismus restitutus erit plenissimo atque universali eventu, rata fiet. Videtis capite duodecimum Apocalypseo, ubi Ecclesia renovata imagine mulieris designatur diciturque, ejus filios, seu Apoc. 12. v. 11. & 17. semen mulieris, qui mandata Dei servant, Draconem devicturos esse per sanguinem (Spiritus, virtutem, vim atque efficaciam) Agni, non amantes vitam suam (non obedientes motibus & inclinationibus naturæ corruptæ) usque ad mortem (ita ut mortem potius obire malint quam inclinationibus vitæ & naturæ corruptæ ulla in re obedire) ita enim diabolo nihil ju-*

ris in hominem supererit, ad quem ipsi per solam corruptio-  
nem, per tenebras, per inclinationes motusque adversus divi-  
num lumen oppositos aditus patet. Ceterum, quemadmodum  
unicuique libertatem relinquo, primum hoc Oraculum, quod  
Adamo obtigit, ita interpretandi, uti ad gloriam Dei suam-  
que salutem fas esse putavit, (quam utique interpretandi ra-  
tionem nunquam improbo;) ita perinde velim ut mihi idem  
juris relinquatur, utque singuli proximos suos ea que pote-  
runt lumina fructusque ex verbo Dei derivare permittant.  
Non ignoro verba hæc variis passim interpretationibus explica-  
ri, earumque singulas iis, qui per eas juvari se sentiunt, re-  
linquo lubens: ego vero ea ad Filium Dei in nobis viventem re-  
ferre malui, siquidem parum alioqui solatii, aut nihil, in iis  
mibi invenissem: quid enim mihi proderit, mi Servator, te  
serpenti in te ipso caput contrivisse, dum tamen idem serpens  
infernalis, semenque peccati & diabolicarum ejus inspiratio-  
num in anima mea adhuc vigerent, ac nisi tu cum spiritu di-  
vinoque amore tuo in me venires, ut & ego per te a peccato ab-  
horrerem, ac tu in me id trucidares atque deleres? Anne  
vero eo nomina levius damnarer? Quin potius nonne eo infeli-  
cius perirem, quo magis animam a te divinisque operationibus  
tuis vacuam essem habiturus?

#### Disquisitio hujus loci.

I. Manifesta est loci Joannei depravatio, quando in eo  
sanguis Agni explicatur per Spiritum, virtutem, vim atque  
efficaciam, sensu omni unice ad applicationem relato, ipsa  
acquisitione, qua ista phrasi proprie notatur, negata.  
Sanguis in notione typica & antitypica nunquam habet notio-  
nem Spiritus, sanctimoniam operantis, sed notionem expia-  
tionis



*tionis & satisfactionis*, unde sanctimonix fructus in ordine applicationis dependet. Habet quidem *sanguis virtutem, vim & efficaciam*, sed proprie *expiandi & satisfaciendi* per substitutionem & acquisitionem; uti pluribus demonstratum est Dodec. prioris Dissertat. V. VII. & VIII.

2. Atque ita *devincere draconem per sanguinem agni* est vi redemptionis Christi illi diaboli potestati, quam is per peccati reatum, subserviente ejusdem labe inhaerente, in nos habet, eripi & eandem effugere.

3. Quod Joannes exprimit in *preterio*, vicerunt *draconem per sanguinem Agni*, redemptionis applicationem fide jam tum factam notans, id Auctor exprimit in *futuro*, filios mulieris *diabolum per sanguinem Agni devicturos*, modo ut phrasis hæc eo melius ad renovationem quadret: quamquam alias sensus, ad acquisitionem & justificationem relatus, pro diverso respectu in notione omnium temporum possit exprimi.

4. Diabolum per SOLAM corruptionem, seu inhaerentem labem, jus & aditum suum in hominem habere, falsum est. *Jus* proprie habet per peccati reatum, & *juris* hujusmodi exercitium per ejusdem, tanquam inhaerentis labis, dominium: uti Dodec. Dissert. II. III. & IV. demonstratum est.

5. Ceterum etiam atque etiam miror eam modestiam, Auctori nostro alias insolitam, qua hic unicuique libertatem relinquit, primum hoc oraculum, quod *Adamo obtrigit, ita interpretandi, uti ad gloriam Dei suamque salutem fas esse putavit*; addens, *se utique hanc interpretandi rationem nunquam improbare*. Utinam hæc protestatio, seu confessio, factis non vel centies esset contraria!

6. Istam suam moderationem præterea hisce declarat verbis:

verbis: *Non ignoro, verba hæc variis passim interpretationibus explicari, earumque singulas iis, qui per eas juvari se sentiunt, relinquo lubens.* In quibus uti est, quod laudes, sic nec deest, quod merito improbes; scilicet simulatio, seu sophisma, quo lectoribus imperitis persuadere nititur, oraculum hoc variis passim interpretationibus explicari; cum tamen probe sciat, non varias, sed unam esse protestantium explicationem de promissa Christi redemptione forensi, a qua ne ipsi quidem Pontificii recedunt, etsi plurimi Mariam Christo adjungant, & tantum non in ejus locum in opere redemptionis substituant.

7. Quam sententiam universi orbis Christiani esse, essi non ignoravit Auctor, commemoratione tamen dignam non habuit, sed obscuravit & lectori imperito invisam reddidit sub variarum interpretationum specie.

8. Ante omnia vero hic probe notandum est, quanto pere Auctor semet ipsum hic sistat *ἀνοκατάκριτον*, & quam manifeste sibimet contradicat. Hic enim, *νοθείας*, quo interpretatio sua laborat, bene sibi conscius, non solum modeste sentit de universæ ecclesiæ christianæ expositione, aperte confessus, se unicuique interpretandi libertatem relinquere, & se istam sententiam *lubenter* omnibus ac singulis relinquere: sed negat quoque, se istam interpretandi rationem improbare; immo non in dubium vocat dissentientibus, nec vitio ipsis vertit, quod putent, interpretationem suam ad gloriam Dei suamque salutem facere, ideoque fas esse, ut sententia isti inhæreant. E contrario autem alibi passim, partim ex instituto, partim ex incidenti, hanc ipsam doctrinam indignissimis modis explodit, in eandem adeo iniquus, ut eam ne semel quidem sincere & incorrupte referat, tantum

tum abest, ut vel ullo idoneo argumento refutare contendat. E qua manifesta contradictione Auctoris nostri animus potest dijudicari, cum manifesto malæ ipsius causæ indicio & caractere.

9. Præterea prodit Auctor causam corruptæ suæ interpretationis, quæ est in præjudicio, quasi *parum* aut *nihil sit solatii in communi sententia*. Unde manifestum est, virum doctissimum vera solatia, eorumque fontem evangelicum, adeo ignorasse, ut ea etiam cum hoc ipse repudiaverit. Cujus grandis erroris theoretico-practici πρώτων ψευδῶν in eo est, quod peccati malum tantum in sola inhærente la-be ponit, reatu ejus, qui proprie ad pœnam ducit, plane negato; uti vidimus Dodec. I. Dissert. II. Unde nec agnoscit aliud solatium, quam quod labi isti expurgendæ oppositum est, solatio isto præcipuo & κατ' ἐξοχήν evangelico, quod in expiatione & satisfactione, seu in redemptione est, & reatum pœnamque abolet, plane seposito. Quam vero solatii solidissimi plena sit satisfactionis forensis doctrina, pluribus ostensum est Dodec. I. Dissert. VIII. in conjuncta demonstratione, quantopere ea ipsum quoque *sanctimonie* studium promoveat.

10. Auctor vix verbis ediderat specimen moderationis & æquitatis in adversam sententiam, ubi istius plane immemor statim antiquum rursus obtinet: *Quid mihi proderit, inquit, mi Servator, te serpenti in te ipso caput contrivisse, dum tamen idem serpens infernalis semenque peccati & diabolicarum ejus inspirationum in anima mea adhuc vigerent?* &c. Et hæc profert redditurus rationem, quare sententia evangelicorum sibi *parum* aut *nihil solatii habere videtur*: quasi vero hæc Evangelicorum esset sententia: *Christus in se ipso*

ipso serpenti caput contrivit; idque nobis prodest, etsi idem serpens infernalis semenque peccati & diabolicarum ejus inspirationum in anima nostra adhuc & posthac vigeant, & licet Servator cum Spiritu divinoque amore suo in nos haud veniat, neque nos a peccato abhorreamus, idque in nobis trividemus. Ita refert Auctor sententiam evangelicam; & eo quidem ipso in loco, ubi insolito aliquot moderationis ac candoris specimen edere videtur. Unde prudenti lectori dijudicandum relinquo, cujus indolis ac notæ sit sinceritas illa mystica, quam hic Auctor per universum volumen suum præ se fert. Ego sane non possum non ab ea abhorrere, vel ipsius naturalis æquitatis, quam tantopere læsam video, lege ductus. Ultima ipsius interrogatiuncula hæc observatis per se concidunt, responsione indigna.

### Locus V. §. VII. VIII. p. 736.

Tertium, quod Deus homini dispensavit; visionique ac revelationi divine addidit, erat institutio rei cujusdam externe, videlicet laboris. Et mulieris quidem labor ejusque submissio, inevitabili necessitate eidem injungitur; viri autem labor majorem libertatem admittit. Non autem videmus Deum homini præter solum laborem, ceremonias ullas aut ullum alium cultum externum præscripsisse: & verosimile est, sacrificia Abelis ac Caini, ceteraque quæ ante Moysen fuerunt, (paucis quibusdam exceptis,) ab ipso homine per principium Fidei in corde ejus insite instituta fuisse, ea ratione quam (cap. X. §. 4.) supra offendimus. Dico eo tempore nullum cultum divinum fuisse institutum, nisi solum laborem: quandoquidem in externis labor revera principalis quidam & maxi-  
me

me essentialis Dei cultus semper fuit, & nunc est, siquidem juxta institutum Dei exerceatur, id quod hujusmodi est.

Primo Deus laborem ideo instituit, ut homini obedientiam ac submissionem divinae Majestatis, quae homini eam necessitatem imposuerat, assidue ingeneraret.

Secundo, ut cor hominis superbum tumidumque per res adjectas deprimeret.

Tertio, ut amorem voluptatum, commoditatis ac otiosae desidia in ipso supprimeret.

Quarto, ut homo conditioni, quae venie a Christo exortae apposta erat, satisfaceret, juxta quam conditionem homo castigationem ac amaritiam peccati gustare debebat. Pro hac castigatione Dei benignitas laborem primitus elegit: unde vel maxime oportet ut eidem satisfaciat homo, siquidem venia impetrata frui velit.

Quinto, laborem instituit Deus ut hominis distractiones impediret, animumque ejus in Deo recolligeret, qui videt ipsum tantam sibi misericordiam tribuisse, ut pro omni pena criminum suorum modicum sibi laborem imperaverit, quo peccato, ad Deum suum quieturus redibit, & in pristinam felicitatem restituetur.

Deus praeterea laborem praescripsit, ut homo per peccatum multis necessitatibus subjectus, materiam haberet exercendae charitatis, tum erga se, propter amorem Dei sui seipsum conservaturus, tum erga proximos, laboraturus pro iis, qui laborare impediuntur, aut necessitatibus parandis non sufficiunt.

Denique septimus & ultimus usus laboris est, ut homines, dum corpori sustinando nutriendoque, ne inopia pereat, serviant, ad animae curam, laborem atque industriam suam

convertere discant, atque operam dent ut ipsa perpetuis desideris interne gratie Dei adhaereat, & ita alimenta sibi vestimenta que spiritualia, quibus vel maxime indigemus, compararet.

### Disquisitionis hujus loci.

1. Percepimus hactenus, quomodo Auctor noster in tradenda Dei visione ac revelatione aberraverit a vero: nunc videbimus, quomodo se gerat in describenda ejusdem institutione.

2. Hic vero tota ejus tractatio redit ad duo hæc grandis aberrationis capita. Institutionem Dei primariam, pro divino cultu ordinatam, & in sacrificiis positam, negat, & in quantum concedit, in tantum obscurat, ad alienum sensum translata: secundariam vero institutionem, seu admonitionem, quæ erat externi laboris impositio, in primariam & in ipsum Dei cultum convertit. Quæ sane ingens est *επιβλότης*!

3. Primum negat, Deum homini præter solum laborem ceremonias ullas, aut ullum alium cultum externum præscripsisse. Deinde rem sacrificalem universam & cetera, quæ ante Moysen fuerunt, paucis, quæ tamen, prodita fluctuatione sua, non commemorat, exceptis, ad propriam hominis inventionem refert. Et hanc, errorem errore cumulans, tribuit principio fidei, cordi infixæ, scilicet naturaliter, uti fert ejus hypothesis Dodec. II. Dissert. II. & III. disjicienda.

4. Quando vero Auctor lectorem suum ad c. X. §. IV. remittit, ablegat ipsum e Charybdi ad Scyllam, h. e. ad fermentum erroris papalis, in superstitionum rituum electione &

ne & exercitio positum: quod excussum ac discussum videas  
Dodec. II. Dissert. ultima.

5. Sacrificia vero a Deo fuisse instituta, supra probatum est, cum remissione ad Dodecadis prioris Dissertationem V. & seqq.

6. Negata sacrificiorum institutione, atque ita vero cultu externo repudiato, aut tantum τῆ ἰθρολογηκεία adscripto, *laborem externum*, eumque *solum*, venditare pro *CULTU DEI REVERA PRINCIPALI ET MAXIME ESSENTIALI*, qui *semper fuerit & adhuc sit*, non est error simplex, sed erroris monstrum ac portentum, quod cadere potuisse miror in virum doctissimum, a statu sanioris mentis haud dejectum: Neque hæc τερατολογία vel quidquam minuitur ista conditione addita; *si quidem juxta institutionem Dei exerceatur*. Eam enim nullius esse pretii, mox videbimus, & res ipsa jam in antecessum per se indicat.

7. Est quidem *labor* per se præstantissimus, inprimis post lapsum consideratus, ideoque de ejus præstantia ac utilitate Auctor multa bene monet: sed is laboris præstantiam & scopum justo facit majorem, ut nunc videbimus.

8. *Primum* in eo errat gravissime, quod laborem facit *satisfactorium*, & quidem in ipso salutis negotio. Statuit enim, *per laborem ab homine conditioni, quæ venia a Christo exoratae apposta fuerit, satisfieri debere ac posse*. Videtur quidem hæc hujus hypotheseos durities per id mitigari, quod additur, *hominem juxta eam conditionem castigationem ac amaritiam peccati gustare debuisse*: at in ipsum tamen ordinem salutis laborem externum corporis intrudi, e verbis n. 4. posterioribus adhuc fit manifestius. Dicit enim: *unde vel maxime oportet, ut eidem satisfaciat homo, si quidem venia im-*

*petrata frui velit.* Quis non videt, hic labori externo tribui, quod *pœnitentiæ & fidei* proprium est. Licet enim homo in labore maxime sit assiduus, tamen in ejus ordine veniam impetrare nequit, si desit pœnitentia. Atque ita labor nequam constituit impetrandæ veniæ *ordinem*, sed, quemadmodum perpetuum lapsus erat mnemosynon, ita tantum ordinis istius, qui in pœnitentia est, *adjunctum* erat & adhuc est inseparabile certumque signum; adeo ut, si hominem otio distingere deprehendam, certo de eo possim affirmare, ipsum ab ordine salutis adhuc abesse.

9. Secundus Auctoris error de labore externo est, quod, vero & horribili peccati reatu negato, negataque ejus pœna, culpæ convenienti, pœnam peccati proprie dictam ponit in labore, & ita quidem, *ut homo eo peracto ad Deum suum quieturus redeat & in pristinam felicitatem restituatur.* Id quod est ludere, ne dicam nugari, in rebus maxime seriis & arduis.

10. Nec satis sobrie labori per se tribuitur scopus & effectus *distractioes impediendi & animum in Deo recolligendi.* Utrumque enim homo potius habet e principio gratiæ, quam e labore per se. Hic ergo est tertius Poireti error de labore: cum labor potius distrahat animum & recollectioni obstet, nisi gratiæ regimini subsit.

11. Quartus in eo est, quod Deum laborem *ideo instituisse* ait, *ut homini obedientiam ac submissionem erga divinam Majestatem assidue ingeneraret.* Quid enim tui, si homo quam maxime laboret? Num labor per se erit documentum obedientiæ & submissionis Deo præstitæ? Id quod neminem sanæ mentis dicturum confido, cum in confesso sit, summam quoque vitæ impietatem & extremum numinis contemptum



teintum cum labore assiduo, & si externa spectes, bene ordinato, apud multos esse conjunctissimum. Quod si Poi-retianus aliquis discipulus hic regesserit, ejusmodi homines non laborare, uti deceat: respondeo, non confundendum esse *laborantem* cum *labore*; *laboranti* quidem deesse pietatem & verum Dei cultum, at huic proprie loquendo non deesse *labori*, cum Dei cultus ad constitutionem *laboris* proprie non pertineat, *laboranti* vero adesse debeat, quo labor ipse sanctificari & Deo placere possit. Atque ita *cultus divinus* non habet nervum & regimen suum a *labore*, sed *labor* a *cultu* & fide ac caritate, per quam ita nobilitatur, ut ipse quasi cultus partem constituat.

12. Colores quidem sententiae suae Auctor quatit ex eo, quod sextum laboris usum directe refert ad *animam*, ut homines per laborem corporis ad *anima curam* laborem atque industriam suam convertere discant &c. Sed hac ratione rursus prodit manifestum sophisma, quo quae a principio gratiae dependent, & ad cultum Dei pertinent, a labore derivat eidemque tribuit.

13. Hisce vero magna ex parte perverfis thesibus de labore externo hoc subjungit epiphonema: *Quisquis ita laborat, is profecto cultum externum divinasque ceremonias exercet omnium & vetustissimas & Deo longe probatissimas &c.* Id quod sane est in errore suo se obfirmare. *Cultum Dei internum* Auctor collocat in falso credito isto gratiae & luminis naturalis principio, jam nobiscum nato & ad salutem sufficienti, immo in Christo nobis jam per naturam, vi promissionis deponenda inimicitia, insito. *Cultum vero externum* omnem divinasque ceremonias ponit in *labore corporis*. Atque ita orbi christiano sub specie theologiae suae mysticae no-  
vz re-

væ rêvera obtrudit novum quendam paganifinum, a vero christianifino toto genere diverfium.

14. Et ifti inharens p. 738. vitam anachoretarum, quæ in defertis olim otiofa magis, quam negotiofa erat, confundit cum vita patriarcharum & Moſis laborioſiſſima, nequam tamen ab ipſis pro cultu divino per ſe habita; de anachoretis ſuis hæc addens: *Ad tantam vite perfectionem ſanctitatemque progreſſi ſunt, nullasque toto fere vite tempore ceremonias, nullum cultum externum habuerunt præter ſolum laborem, Academiam ſane inter omnes longe ſublimiſſimam iis, qui juxta inſtitutum inſtitutionesque Dei eam frequentant. Nulla namque perfectio adeo ſublimis eſt, ad quam non per laborem [nimirum corporis, & externum, de quo Auctori ſermo eſt, & quem paulo poſt ipſe corporeum & externum, qui motu & exercitio membrorum conſtat, vocat] legitime ad intentionem Dei conformatum aſcendere liceat. &c. Item: En cultum, quem Deus vere probat, quique ad gloriam ejus celebrandam multo præſtat innumeris neſcio quot conſiderationibus totidemque ceremoniis.*

15. Ceterum non video, quomodo hæ hypothefes de labore corporeo & externo conſiſtere poſſint, non dicam cum ipſa Auctoris vita externa, ſed cum otioſiſſima hominum multitudine, quæ in cœnobiis papalibus h. e. in mero fere otio omnem degunt vitam, Poireto autem ſunt animæ reliquis omnibus perfectiores, modo otia ſua myſticis contemplationibus tranſigant.

16. Paragrapho XI. Auctor in illos, qui ob bonorum affluentiam a labore externo abſtinent, invectivam neſcit, ſed talem, quæ omnem modum excedit, nec ipſi ſanæ rationi conſentanea eſt. Pro eo enim, quod ejusmodi hominibus de ſuo

de suo laborandi officio admonitis commonstrare debebat honestos ac utilissimos externarum occupationum modos, dicit: *Minus malus erit, laborare ad instar bruti, aut propter vanitatem, aut pro ipso diabolo, indirecte tamen, aut propter rem faciendam, animamque per illam trucidandam; quam inertis otio indormire; quoniam anima labore nullo occupata diaboli templum est, qui terribilissimas quasque inspirationes, easque vel maxime diabolicas, in eam ingerit. &c.*

17. Quam precipitatum corruptumque hoc est iudicium! Otiosos peccare, nemo negat. Sed num propter solum laborem externum illi minus, quam otiosi, templum diaboli sunt, qui laborant ad instar bruti, aut propter rem faciendam, animamque per illam trucidandam, aut qui, uti Auctor paulo post ait, *ad modum bestiae aut hominis mundo ac avaritiae dediti laborant?* Tantus ne Dei cultus est labor externus, ut per istum peccata haec diabolica & conscientiam vastantia, eamque in regno tenebrarum plane detinentiam, minuantur, ipsique peccatores ejusmodi laboriosi minus sint templum satanae, quam otiosi, & illi etiam, qui, quod bonis affluunt, & in dignitate aliqua constituti sunt, seculi vitio abrepti vitam degunt umbratilem & otiosam, a sceleribus tamen sejunctam. Ego sane uti otiosis patrocinari nolum, ita tamen, cum patrocinio impie ac scelerate laborantium, iisdem generatim & acerbissimis istis modis insultare haud velim.

18. Haec haecenus in caput XI. I. III. *Oeconomiae Poiretanae*, de prima seu antediluviana temporum periodo. Cap. XII. fit progressus ad secundam, initio facto a rebus Noachii. Ubi antiquum obtinet Auctor, id quod in iis precipuum est, hoc est *rem sacrificalem*, in qua nervus *ἡ θυσιασθία* & totius

totius cultus divini erat, vix duobus verbis attingens: *Deus sacrificium ejus accepit.* Quandoquidem enim negat, mortem Christi futuram Patriarchis fuisse patefactam & cognitam, hypothefi suæ consultum esse credidit, de Noachi sacrificio tacere, seu illud vix duobus verbis tactum præterire. Caput XIII. de *statu gentilium sub lege nature* destinatum est Dissertationibus II. & III. proxime sequentibus. Cap. XIV. de *oraculis Dei scriptis & de eorum interpretatione* multa monentur non inutiliter adversus abusum artis criticæ; non tamen omnia ex vero. Et Auctorem ipsum a genuina hermeneutica, quam præ aliis callere & tradere sibi videtur, fuisse alienum, ex universa Dissertationum ipsi oppositarum serie liquet. §. IV. p. 765. seqq. impugnat communem & verissimam sententiam de *dono linguarum diversarum*, Apostolis primo pentecostes tempore divinitus dato Act. II. pro ea, contra expressam textus litteram, substituens hypothefin de miraculo, non in linguis Apostolorum, sed in auribus auditorum facto, quasi diversarum nationum auditores Apostolos una eademque lingua usos intellexissent. Cujus commenti dialysin ad programma aliquod academicum, pro Decanali officio volente Deo aliquando concinnandum refero. Pergo nunc ad c. XV. ubi de promissionibus Abrahamo datis inter alia hæc habet Auctor Evangelio adversa.

### Locus VI. c. XV. L. III. §. VIII.

p. 791. seqq.

*Quod si cooperatio. Judæorum ac Gentilium hujus decreti executionem jam tempore Moysi attulisset, promissa Dei Abrahamo facta, quibus omnes gentes terræ per ejus semen benedicturum*

clurum se promiserat, nihilominus irrita non fuissent: quoniam illæ eo ipso per id semen benedictionem accepissent. Si vero dicas, per semen hoc intelligi debere Christum, juxta interpretationem Pauli, (Gal. 3. v. 16.) respondeo, Deo sexcenta media in promptu semper fuisse, quibus promissionem hanc suam ratam faceret, quæ vel sic impleri poterat, ut Christus in corde Abrahami & Abrahamidarum natus, indeque ad gentes transiens, iis sui copiam faceret. Neque enim necessarium est (si ponamus Judeos jam inde ab initio DEO legitime respon- disse,) significationem stirpis aut seminis Abrahami, in quo gentes omnes benedicendæ sunt, ad Christum restringere, quatenus ille ex Abrahamo natus est secundum carnem corruptibilem: quum enim Deus appelletur Deus Abrahami, nihil impedit, quo minus semen Dei [uti Joannes loquitur] hoc est, lumen fidei, aut Filius Dei in anima natus, hoc respectu appellari possit semen Abrahami. Quanquam Deus ex modis omnibus, quibus promissionem suam Abrahamo datam exsequi potuerat, postquam Judei illam, qua usi sunt, viam inire voluerunt, eum elegerit, ut veniret in carnem ex Abrahamo sumtam. In visis Dei id vel maxime frequentatum videmus, ut boni cujusdam substantia promittatur, idemque deinde modis quibusdam conferatur, qui aliter habere potuissent. Substantia boni Abrahamo promissi hæc erat, quod ipse per Christum futurus erat fons, unde benedictio ad omnes gentes derivaretur. Id vero ratum fieri poterat modis multis & variis, & quidem modis etiam mere spiritualibus. Atque si quis verba illa, in te aut in semine tuo benedicentur omnes gentes terra, ita interpretaretur, „Habebis posteritatem numerosam, in qua Christus (in tua anima natus) per Spiritum suum vivet, unde benedictio Dei derivabitur in orbem universum; qui ita præ-

*paratus, præsentia etiam Christi gloriosa & corporali honorabitur atque benedicetur; ille a sensu Dei perfectissimo non longe abesse videretur.*

### Disquisitio hujus loci.

1. Per decretum illud, cujus Auctor meminit, intelligit Dei voluntatem de salute omnium gentium, per gentem Judaicam intercedente opera Messia procuranda. Per cooperationem Judæorum ac gentilium intelligit obsequium, gratia vocanti præstandum. Jam statuit idem, Judæorum ac gentilium cooperationem, si adfuisset, decreti istius de salute per semen Abrahami in omnes gentes diffundenda, executionem daturam fuisse, etsi Messias nondum & nunquam natus fuisset. Quæ sane magna promissionis evangelicæ est depravatio.

2. Quia vero Auctori objici poterat, per semen Abrahami intelligi Christum nasciturum; hanc objectionem ita antevertit ac diluit: *Si vero dicas, per semen hoc intelligi debere Christum, juxta Pauli interpretationem Gal. III, 16. respondeo, Deo sexcenta media in promptu semper fuisse, quibus promissionem hanc suam ratam faceret: quæ vel sic impleri poterat, ut CHRISTUS IN CORDE ABRAHAMAM ET ABRAHAMIDARUM NATUS, INDEQUE AD GENTES TRANSIENS, is sui copiam faceret.* Id quod est, oracula Dei ceræ instar fingere ac refingere, eaque hac ratione emparctarum ludificationi exponere, & simul proderere errorem istum decumanum, quo negatur, per sacrificia mortem Christi piacularem, quæ ἐνσπείρωσιν omnino suppositum, fuisse representatam.

3. Et hoc ipsum est, quod Auctor verbis proxime sequenti-

quentibus aperte exprimit, quando negat, *neccarium fuisse, significationem stirpis aut seminis Abrahami ad Christum restringere, quatenus ille ex Abrahamo natus est secundum carnem corruptibilem.* Certe vix ratio pseudocritica, quam Auctor c. XIV. tantopere exagitat, tam audax est in rebus divinis, quam ratio pseudomythica Auctoris nostri, fluctuationi scepticæ fores pandens.

4. Quod si temeritatis hujus hermeneutico-didascalica rationem quaras; hanc habet in promptu: *Quum enim, inquit, Deus appelleretur Deus Abrahami, nihil impedit, quominus semen Dei, uti Joannes loquitur, hoc est, lumen fidei, aut Filius Dei in anima natus hoc respectu vocari possit semen Abrahami.* Quandoquidem Auctor semen mulieris promissum in protevangelio exposuit de Christo quodam mystico, naturaliter omnibus hominibus insito; existimavit systematis sui analogiam postulare, ut in promissione Dei de eodem semine, Abrahamo repetita ac confirmata, ab hypothese ista haud discederet. Quæ vero cum destructa sit supra, etiam hæc nova hujus oraculi detorsio simul concidit. Et hæc eo est indignior, quo durior & gravior est error, qui eident est adjunctus, nimirum is, quo *lumen fidei & Filius Dei in anima natus* habentur pro synonymis. Præterea consequentia: *Deus appellatur Deus Abrahami, ergo lumen fidei, aut filius Dei in anima natus, appellari potest semen Abrahami,* viro docto est indigna. Nec quidquam ipsum juvat locutio Joannea de *semine Dei* in animo regentorum harente I Jo. III, 9. Apostolum enim per *semen Dei* non intelligere Christum, jam natura nobis insitum, sed verbum evangelii, per præconium ejusdem animo inspersum, manifestum est e re ipsa & e locis parallelis de Evangelii semine, Matth. XIII.

1 Pet. I, 23, 24, 25. Jac. I, 18, 21. &c. Et huc Joannem respexisse, e cap. I, 3. liquet.

5. Postquam Auctor tam indignis modis de promissione seminis evangelica philosophatus est, fatetur quidem, eam in nativitate Christi fuisse impletam; sed hæc ipsa confessio rursus adjunctam habet ejusmodi *επιβλόγητα*, quæ ipsa promissionis fundamenta labefactat.

6. Poiretiana ista verborum promissionis: *in te aut (potius secundum Gal. III, 16. hoc est in) semine tuo benedicentur omnes gentes terræ*, interpretatio: *Habebis posteritatem numerosam, in qua Christus in anima tua natus per Spiritum suum vivet &c.* prodit mentem mysticismo Burigniano nimis deditam & assensu peritorum indignam: quemadmodum e præmissa tractatione didascalica liquet.

7. Quandoquidem verò *ἰσραηλίστως* necessitas, a Poireto infausto plane nisu negata, pendeat a necessitate *meriti Messie*; idem id agit §. IX. ut hanc ipsam quoque mortis necessitatem neget, in matæologia hac ad ipsam fere antichristianissimi malignitatem assurgens. Et interea tamen ibidem crepat *meritum Christi, tanquam mediatoris, infinitum*. In quibus verbis quantus lateat fucus, quanta evangelii corruptio, ipse statim declarat, quando inter alia: *Christus Jesus, inquit, quæ sacerdos internus, vitia fidelium occidens venie fons ac causa & objectum fidei erat*. Nam quemadmodum cum Socinianis negat, mortem Christi fuisse piacularem; sic negat quoque, dari aliam ejus applicationem, quam exemplarem, positam in mortificatione peccati, quæ ipsi etiam venie fons ac causa est. Quod pseudevangelium Dodec. I. Dissert. V. VI. VII. VIII. IX. & X. pluribus fuit examinatum ac dissectum. Ubi etiam in specie grandis iste error, quasi



quasi per tria annorum millia fideles mortem Messie vix cognoverint, immo ante adventum ejus ne cogitaverint quidem, quem etiam hic propinatum videas, cum praesidiis suis fideicis everfus est.

8. Unum vero error Pireti decumanus habet *εὐγενία* in negata mortis Christi necessitate, quod quia peritis glaucoma objicit adversus necessitatem mortis Christi, paucis adhuc dispellendum est. Dicit, si *Judei ac gentiles omnes ex intentione Dei se convertissent, Christum non passurum ac moriturum fuisse; siquidem conversi eum nunquam morti fuissent tradituri.* Respondeo: 1.) Cum Deus prädiceret mortem Messie, jam präviderat, non omnes Judæos ac gentiles conversum iri, & quosdam ex illis ipsum neci daturus esse. 2.) Etiam si malicia hominum propria hic defuisset, sapientia Dei non deerant alii modi Messiam piaculari morti tradendi. Paulo ante Evangelicis, promissionem benedictionis ad promissum semen, h. e. ad Christum ut nasciturum, restringentibus, auctor responderat, *Deo sexcenta media in promptu semper fuisse, quibus hanc promissionem suam ratam faceret, e sexcentis unum allegans, nimirum illud de nativitate Messie spirituali in corde Abrahami & Abrahamidarum, subsidio cujus benedictio etiam ad gentes transire potuerit, sine ἐπιπράξεως eventu.* Sic ad enervandam veritatem evangelicam non dubitat vel sexcenta Dei media crepare, & in uno statim ac primo indignissime corruere. At pro veritate adversus improbas corruptelas tuenda ne unicam quidem novit aut admittit viam. Quæ sane indignissima res est.

9. De iis, quæ capitibus XVI. XVII. & XVIII. L. III. tractantur, & præ aliis examen merentur, ordinis causa jam actum est supra Dodec. Dissert. V. nec non IX. & X. Ea, quæ L. IV. c. II. & III. traduntur, jam examinata sunt Dec. I. Dissert. XI. & XII.

## RESPONDENTI ORNATISSIMO

S. P. D.

## PRAESES.

**I**N eo es, carissime Menckeni, ut dogmata evangelica de protevangelio, institutione sacrificiorum divina, & promissionibus de Messia Abrahamo datis, responsione publica defensaas. Qua quemadmodum ita defungeris, prout mea & totius auditorii fert expectatio, e privato disputandi actu concepta: ita noveris, te eadem, tanquam data tessera, obstringi, ut veritati, quam tueris, animum per omnem vitam addictissimum serves. Permaneat itaque Christus, protoplastis & Abrahamo promissus, & in sacrificiis divinitus institutis representatus, doctrinae tuae caput ac centrum; sed in dignae applicationis ordine. Sic nunquam tibi deerit benedictio; nunquam deerit virtus, ad serpentini capitis conculcationem, Christi, qui illud jam contrivit, sacrificio & merito subnixam, sufficiens. Et quo te praestiteris fideliozem in iavro dicitia, in tui ipsius consecratione, Christo debita, eo plus benedictionis habebunt labores tui litterarii. Qui ut posthac in publico munere amplissimos ferant fructus, est, quod ex animo precor. Dabam Halae Saxonum die XIII. Cal. Jul. M DCC XX.

JJ 5225

ULB Halle

3

002 698 757




st

Ms 18

Ms 1





DISSERTATIONUM ANTIPOIRETIANARUM  
**DODECAS POSTERIOR,**

ET IN EA  
**PRIMA,**  
QVA

**PROTEVANGELIUM  
PARADISIACUM CUM AD-  
JUNCTO LABORIS CORPORA-  
LIS, NEC NON INSTITUTIO SACRIFI-  
CIORUM, ET PROMISSIONES ABRA-  
HAMO DATÆ,**

*A VIRI CLARISSIMI,  
PETRI POIRETI,*  
CORRUPTELIS VINDICANTUR:

IN ACADEMIA FRIDERICIANA  
*Die Jun. hujus M DCC XX anni*

MODERANTE  
**D. JOACHIMO LANGIO,**  
S. THEOL. PROF. ORDIN.

PLACIDÆ DISQVITIONI SUBMISSA *lyr.*  
A RESPONDENTE

**JOAN. ANTONIO MENCKENIO,**  
AURICA-FRISIO, SS. THEOL. STUDIOSO.

HALAE MAGDEBURGICAE.  
Typis JOAN. FRIDERICI KROTTENDORFFII, Acad. Typ.

